

Matthæus omnibus linguæ Latinæ fautoribus novæ ætatis sal.

En, caræ carique, proximâ paginâ incipit carmen de sanguinis circuitu a Roberto Grovio conscriptum, editum anno 1685. In quo carmine describuntur gloria inventaque Guilielmi Harveji (sive, si vis, Gulielmi Harvæi), medici Angli qui bene demonstravit sanguinem circulare per corpus secundum cordis motum. Cum liber Harveji quo omnia hæc continentur facile inveniri possit in interrete, tamen ego ediddi primam partem in lucem, marginalibus adpositis ut textus melius intellegatur a linguæ Latinæ discentibus; in animo etiam habeo talia marginalia huic carmini pro posse addere. Ad quod opus non jam fuit mihi sat temporis quâ causâ vides spatium vacuum in latere carminis sinistro.

His in paginis carmen ipsum præbeo sine emendationibus, etiam quod pertinent ad interpunctiones et orthographiam nisi illam S longam deposui (nam mihi multo facilius fuit). Editum fuit carmen in libro quem licet invenire apud Google Books ([ecce vinculum](#)).

Ut legas librum Harveji, vide paginam retialem meam:

<https://matthewjayepi.com/de-motu-cordis/>.

Curate ut valeatis!

Datum a. d. X Kal. Jan. anno coronaviri I.

**Carmen de sanguinis circuitu, a Gulielmo Harvæo Anglo,**

**Primum Invento,**

*Rob. Grovii, A. M. Cantab.,*

1685 Londinii editum.

---

Musa, mihi causas memora, quo ferveat igne  
Sanguis, quàm rapido exundans torrente feratur;  
Quid venam repleat; cur tensa arteria pulsu  
Perpetuo micet, alternis residensque tumensque;  
Quidque intermisso præcordia verberet ictu.

Non hæc, docta licet, veterum cognoverat ætas;  
Non hæc Phillyrides Chiron, non ipse Machaon,  
Non Amythaonides; non hæc pulcherrima vidit,  
Quamvis discissis cuncta indagaret in extis,  
Abderitani cultor celeberrimus horti:  
Nec tu, magne senex, Coâ qui missus ab urbe,  
Ut male suspectos tua pelleret herba furores,  
Risisti meritò insani deliria vulgi:  
Nec solers Phrygiis ortus Galenus in agris,  
Quem cognata diu mirata est Roma medentem,  
Grataque posteritas omni venerabitur ævo:  
Nec Cæsalpinus; nec tu, præclare Soavi,  
Olim Phæbæas inter notissime turbas,  
Qua Padus irriguos fœcundat gurgite campos,  
Quaque Antenoreas Neptunus protegit arces,  
Et circumfusus tutas amplectitur undis:

Sed, quem felici lætata Britannia partu  
Edidit, Harvæus, notum per secula nomen,  
Harvæus monstrator erat, primusque latentes  
Expediit causas, priscisque incognita seclis  
Eruit è tenebris, piceamque abscedere nubem  
Jussit, & obscuris accendit lumina rebus.

Hic etenim varios expendit sedulus usus  
Membrorum, mentisque aciem per singula mittit

Sollicitus, sectisque animantibus inspicit omnes  
Morborum tacitus sedes; secumque requirit  
Unde trahant lentæ renovata incendia Febres;  
Et quo fonte, quibusque exundet fluctibus Hydrops;  
Quid maciem inducat; quod iniquo pondere Splenem  
Attollat; quæ vis faciat lapidescere Renes:  
Has ille atque alias moriendi mille figuras,  
Vestigatque animo, mortisque pericula longè  
Summovet, & medicas Parcis instantibus artes  
Opponit prudens, atque omnia mente volutat;  
Nec putat in membris vitalem hæere liquorem,  
Tarda que per longos protendere stagna canales,  
Sed ruere, & celeri circum vertigine ferri.

Convocat interea lectos in tecta sodales,  
Queis præclare artes, & sacra Epidauria cordi:  
Atque, ait, experiar mihi quæ comperta videntur;  
Sintne satis perspecta, & certis cognita signis;  
An vanæ tantum species, & amabilis error  
Me noscendi avidum falsâ sub imagine ludat.  
Arreptumque Canem obtortâ cervice prehensum  
Tollit, & in mensâ resupinum ponit; at ille  
Arrectis horret villis, & brachia morsu  
Appetit, & magnis ululatus omnia complet;  
Et pedibus pugnat. Sed nulli obsistere satis  
Fas est. Harvæus validis complexibus urget;  
Atque infelicem, & luctantem plurima frustrâ,  
Per mediam extendit tabulam; tum fune reductos  
Innectitque pedes, & vincla tenacia stringit.  
Cumque ita porrectus metuens, pavitansque jaceret  
Ille miser, trapidans artus, & pectus anhelum;  
Tum placidè aspiciens vinctum, sic ore profatur.

Non me, inquit, feritas animi, non dira libido  
Crudelem facit, aut sævi inclementia cordis:  
Sed mihi mente imâ, totisque recpta medullis

Laudis sacra fames nolentem talia cogit  
Moliri, & lenes abigit de pectore sensus.  
Fert animus cæcas naturæ aperire latebras;  
Occultas olim rerum perquirere causas;  
Captivumque diù vinclis exolvere verum.  
Certum est magna sequi, & tectas, penitusque remotas  
Explorare vias; quo flumine sanguis agatur,  
Quo duce liventem inficiat nova purpura venam.  
Tu, quanquam infandos miser experiare dolores,  
Immeritamque feras pœnam, solamen habeto  
Mortis, quod fato non sis jugulatus iniquo;  
Quòd neque disruptus rabiosi dente Molossi  
Occideris, nec te consumat pigra senectus.  
Nam neque, per fossas, fœdamque ignobilis ulvam  
Projiciere Canis, nec tabo membra liquescent;  
Nec tu nocturnis raptus laniabere monstris,  
Nec putrescentes corvus populabitur artus.  
Sed si (quod fore confido) mihi docta Minerva  
Riserit indulgens, votisque vocatus Apollo  
Annuerit cæptis, nunquam tua fama peribit;  
Sed quacunque mei pertinet gloria facti,  
Tu quoque notus eris, totoque legeris in Orbe  
Clarus, & æternum vives moriture Lycisca.

Talia narrabat surdo, dextraque coruscos  
Cultellos effert, gladiisque micantibus instat.  
Ut verò vulnus sensit fera, corpore toto  
Contorquet sese, & fermitu gravis intonat acri;  
Et simul infrendit nudatos spumea rictus,  
Dente, oculoque minax frustra; tremor ilia pulsat;  
Exercetque ferox vanam sine viribus iram.  
Namque illum summo conantem insurgere nisu  
Intorti cohibent nodi, clavique trabales.

At Senior nullo turbatus murmure pergit,  
Et rigidos enses, & inexorabile ferrum

---

Perque leves tunicas, perque ultima viscera ducit;  
Intentusque operi extremi penetralia Ventris  
Pandit, & incisas properans divellere carnes,  
Illas hinc atque hinc manibus detrudit; & inde  
Introrsum adnutans fumantia conspicit exta.

Hîc Jecur immensum vasto se pondere jactat,  
Et tumet, & Tyrium vincit splendore venenum;  
Sic pulchrùm nitet, & nativo fulgurat Ostro.  
Hæc domus, ut fama est, tenerorum tristis Amorum;  
Hinc procul intentans sævus sua tela Cupido,  
Mollia languenti succendit pectora flammâ.  
Sive hîc vi magnâ, & multo percocta calore,  
Immutata novum sumunt alimenta ruborem:  
Seu potiùs nimio sanguis flagrantior æstu,  
Hîc fæcem nocuam, atque acri flavedine Bilem  
Exuit ardentem, & latices deponit amaros.  
Quod superest oleo, & molli pinguedine lentum  
Et servat longos, faciles & concipit ignes.

Hinc autem contra, & diversâ in sede recumbit  
Splên, & mole minor, facieque obscurus, & usu.  
Hunc levibus perhibent Pulmonem agitare cachinnis;  
Aut succum austerum, atque humores colligit atros;  
Aut escam subigit, stomachoque infundit acetum.

In medio jacet ingluvies, barathrumque macelli  
Ventriculus, magni protensus imagine sacci.  
Huic appensa olidas circumstringentia fæces,  
Intestina hærent, variosque inducta per orbes,  
Multiplici gyro sinuosa volumina torquent.  
Hæc membrana levis nexu complectitur arcto;  
Perque illam niveas cernit prorepere fibras,  
Quas primus doctâ detexit Asellius arte;  
Lactiferasque vocat lactis de nomine venas.  
Pancreas, & Renes, plura & miracula rerum  
Transilit, aut strictim, & festino lumine lustrat;

Alta petit, vitæque arces invisere gestit.  
Stat supra expansum famâ memorabile Septum,  
Altera carnosio pars est circumdata limbo,  
Altera Pergameas imitatur lucida pelles;  
Et per transversas æquo libramine costas  
Tenditur, atque imas superis discriminat oris.  
Incipit hinc primum hirsutus se attollere Thorax,  
Molliter inflexus curvatæ more carinæ.  
Hunc natura parens, venturi præscia, firmo  
Costarum vallo, & solido muniverat osse.  
Hîc etenim assiduo motu præcordia Pulmo  
Ventilat, inque vices hauritque, & rejicit auras.  
Hîc Cor quod reliquis voluit præcellere membris  
Ipse Pater, medium sublimi in sede locavit.  
Sed neque summus honos, neque propugnacula prosunt;  
Ille cruentatas mergens in pectora palmas,  
Omnia crudeli properat discindere ferro;  
Irrumpitque aditus, laxataque claustra revellit.  
Tum verò occultæ sedes, vitæque recessus  
Ostendunt sese, & Cordis domus alta patescit.  
Ipsam autem tenero affultum Pulmone superbum,  
Interiore cubat tecto, & penetralibus imis;  
Vitalesque omni diffundit corpore succos.  
Nunc penitus totâ intentis compagine nervis  
Tollitur, & stricto tumidum mucrone minatur,  
Intentatque ictus; nunc fibris mollè solutis  
Decidit, & subitò flaccescens languida circum  
Demittit latera, & cono procurrit acuto.  
Nec mora, nec requies; rapido sese ocyus Euro  
Colligit, & motus servat, repetitque priores:  
Atque iterum assurgens solidum densatur in orbem;  
Atque iterum in longum pendentia fila remittit.  
Nam Natura sagax pariter nobisque ferisque  
Mirâ arte in geminas divisit Corda Cavernas;

Quæ modo turgentes ingesto rore tumescunt,  
Et mox emisso subsidunt sanguine. Nempe  
Nil stabile, immotumque datum est mortalibus ægris;  
Nec sine continuo ducenda est vita labore;  
Exoptata quies mors est. Cor mobile pulsu  
Perpetuo quatitur, trepidatque: ex Corde superno  
Quatuor enatæ procurrunt ordine Venæ,  
Hinc binæ, atque illinc; facies non omnibus una  
Non idem est habitus. Pars crasso tegmine tuta  
Albet, & inclusos occultat cauta liquores.  
Pars tenues tunicas, pellesque induta nitentes,  
Purpureum ostentat laticem, livensque fatetur  
Internos minio nativo ardescere tractus.  
Illas spiritibusque tumens, & turgidus inflat,  
Has leni placidus percurrit flumine sanguis.  
Verùm Corde omnes, & eodem fonte coortæ,  
Grandescunt primùm, & fluvio majore feruntur;  
Post autem angustos subitò tenuantur in amnes,  
Inque canaliculos aliosque aliosque tributæ,  
Decrescunt sensim; filisque extensa minutis  
Exta per, & carnes, atque omnia membra vagantur,  
Vivificum cunctis afflantes artubus ignem.  
Hæc aliis olim satis explorata relinquit.  
Ast ipsum interea cupidum nova cura fatigat;  
Quis Cordis molem exagitet labor, unde calentes  
Accipiat succos, & quas extrudat in oras;  
Quo fluat exundans per aperta foramina Sanguis,  
Sanguis qui inducto venarum tegmine clausus,  
Ambiguos trahit anfractus, & fallit eundo.  
Sic ubi lentus Arar tacito per pinguia repit  
Culta gradu, lenique pererrat pascua rivo,  
Incertum est partes has, an labataur in illas:  
Cum verò injectas accepit gurgite moles,  
Et trabibus frænantur aquæ, vehementior exit,

Mutatusque fremit, superatoque aggere spumans  
Sævit, & in Rhodanum violentas concitat undas.  
Ergo placet tepidos amnes, cursumque ruentis  
Sanguinis obstruere, & nodo constringere Venas.  
Sunt geminæ ante alias insignes mole, modoque;  
Illam jure Cavam vocitat Romana juvenus,  
Hanc olim Graii dixerunt nomine Aortam.  
Contiguus pariter labuntur fluctibus ambæ,  
Et socios ambæ spargunt per corpora ramos.  
Hanc Harvæus, & hanc oculisque animoque remensus;  
Forte Cavam primò tenui complexus habenâ,  
Amplum intercludit filo cohibente canalem,  
Obsepitque vias. Atque hîc, mirabile visu!  
Qui propior Cordi sanguis dilabatur ultrò  
Cordis in Auriculam, deplataque sanguine Vena  
Concidit, & vacuas jungit sine flumine ripas.  
Qui verò excelsâ Vitæ distabat ab arce  
Longiùs, astricto præclusus stamine, cæptum  
Sistit iter, magnoque attolit Vasa tumore:  
Distentas tunicas, & claustra obstantia pulsat,  
Implicitos nequicquam ardens perrumpere nexus.  
Postquam hæc Harvæus solerti mente notârat,  
Ipse manu nodos, & vincula linea solvit.  
Tum subitò emissus per mota repagula sanguis,  
In patulas Cordis cellas, & tecta refertur.  
Hæc ubi visa seni, multumque expensa sagaci;  
Arripit ingentem, vincloque innectit Aortam.  
Omnia nunc diversa videt, nunc altera surgit  
Naturæ facies. Nam quâ longissima Vena  
Perplexos ultra nodos porrecta jacebat,  
Mollior elapso flaccescit sanguine; sed quâ  
Interiùs spectat, Cordi conjuncta sinistro,  
Dura riget, succoque superveniente tumescit.



Allabensque liquor, spatiis conclusus iniquis,  
Æstuat introrsum, vitalemque ampliat orbem,  
Et propè disrupti intendit retinacula Cordis.  
His etiam rite expensis, simul omnia circum  
Laxat vincla Senex; magno simul impete sanguis  
Emicat, & pronò decurrit concitus amne:  
Corque vices peragit, renovatque arteria pulsum,  
Quantum efferre valent moribundi languida membra.  
Harvæus, qui cuncta animo securus obibat,  
Constitit attonito similis, paulumque moratus,  
His tandem charos dictis affatur amicos.  
Vos quibus alma salus curæ est, qui sacra medentûm  
Pocula miscetis; quorumque potentibus herbis  
Fata retardantur, miserumque extenditur ævum;  
Accipite hanc animis, memoresque recondite vestris;  
Et veras demum vitæ cognoscite causas.  
Dissimiles Venæ varios formatur in usus;  
Hæ primùm acceptos pleno de Corde liquores  
Carnibus instillant, & toto corpore miscent;  
Regressos illæ in Cordis penetrare refundunt.  
Principiò sanguis fonte electatus ab uno,  
Conjungit vires, & magno flumine fertur;  
Post autem in rivos scindit sese usque minores.  
Tunc iter obscurum ingrediens, cæcosque meatus,  
Exiles Venarum apices, & parvula lentus  
Vasa subit majora petens; & semper eundo  
Auctior, immensus redit in præcordia torrens.  
Nam velut irrigui fontes, fluviique minores  
In Thamesin leni deducunt murmure lymphas;  
Ille novo fluctu, & lato spatiosior alveo,  
Crescentes undas sinuoso in Nerea tractu  
Promovet, ingentique impellit flumine Pontum.  
Haud aliter summo rediens è corpore sanguis:

In tenues primùm Venas, parvosque canales  
Insinuat sese; subito majora redundans  
Vasa petit; tandem collectos undique rivos  
Inque Cavam cogit, ripisque coerces eisdem.  
Illa gravis tumet, & refluxo distenta liquore  
Partem oneris ponit, Cordisque eructat in oras.  
Quod simulac sensit venientis pondera succi,  
Tenditur, & rigidum, & massâ majore gravatum  
Omnibus insurgit fibris, multaque potens vi  
Sanguineum amplexans laticem constringit; at ille  
Quà data porta ruit: Pulmonem protinus omnem  
Proluit, & tetrum exhalans de pectore fumum,  
Ætheriâ nimium fervorem decutit aurâ;  
Atque inspirato vitales aere flammâs  
Suscitat, & raptim cælesti accenditur igne.  
Tum nitor effæto redit, & nova gloria succo.  
Jamque sinum Cordis lævum fulgentior intrat;  
Atque inde in vastam magnâ vi pulsus Aortam  
Prosilit, illa ictu distenditur, & simul omnes  
Expansi toto subsultant corpore rami.  
Sanguinis hoc iter est, atque hæc via regia vitæ:  
Perpetuis agitur gyris membra omnia circum;  
Atque iterum in Venas, iterumque in Corda recurrit;  
Itque, reditque viam, celerique reciprocus æstu,  
In sua conversus vestigia volvitur amnis,  
Atque indefessum peragit circumfluus orbem.  
Hunc motum, hos cursus innexa, solutaque Vena  
Monstrat, & extantes diversâ in parte tumores.  
Non etenim instabili fertur pede mobilis humor;  
Ut levis Euripus dubiâ revolubilis undâ:  
Sed certis semper gradibus pergitque, reditque.  
Nam qui perluto veniunt è corpore succi,  
Promptior his in Cor lapsus, via tuta patescit:

Sed reflux validum opposuit Natura Tridentem,  
Et ternâ clausas, munivit cuspide portas.  
Quique è compresso pelluntur Corde loquores,  
Exitus his facilis datur, at remeantibus obstant  
Claustra, & Lunatæ stantes in limine Valvæ.  
Verum hæc ipse equidem modicis conclusa libellis  
Expeditam; atque alias rationes insuper addam;  
Cur Medicus leni constringens brachia nexu,  
Cum gravis accensas populatur flamma medullas,  
Inferiùs Venam secet, & quâ proxima Carpo est:  
Quid faciat nodos varicoso in poplite; quidque  
Sanguinis impediât subitum per prona relapsum;  
Pluraque purpurei laticis monstrantia cursus.  
Tum genitale arvom, & vitæ primordia pandam;  
Ut genus humanum, pecudesque, & cærulea monstra,  
Cuncta ovo exorta, & Puncto saliente creata.  
Nec nostram effucient, quantumvis parvula, curam,  
Quæ miranda magis, subtili texuit arte  
Natura, & primum adductis prorepere fibris  
Jussit, mox pictis volitare per aera pennis.  
Forsitan hæc etiam, non multum ingrata, docebo;  
Ni mea crudelis compilet scrinia miles.  
Nam mihi nescio quid lævi mens ægra minatur;  
Arma procul video, & fulgentes ære catervas.  
Quæ rabies animi, quæ tanta insania Cives  
Perculit ingratos; atque in fera prælia raptat  
Felices ninimum, Carolo regnante, Britannos?  
Hei mihi! quas clades, & quos inimica tumultus  
Fata parant? cerno stagnantes sanguine campos;  
Cognatasque acies alternâ cæde rubentes.  
Quod sibi vult Styge prorepens Confessus ab imâ;  
Diraque regali perfusa crurore bipennis?  
Ante precor mors atra graves mihi condât ocellos,

Quam videam illius casus, lacrymasque diei.  
Eheu! Quam variis jactabitur Anglia fati!  
Principiò in miseram immanis dominabitur Hydra:  
Sed ferus obscænum Serpens caput exerit Orco,  
Terrificos spargens oculis flammantibus ignes,  
Oraque sanguineis turpatus lurida guttis;  
Inque ipsam ruit ille Hydram; & de sede supremâ  
Dejicit, & rursus tenebrosa in Tartara mittit.  
Mox aliam ipse Hydram nocte, & pallentibus umbris  
Evocat; hanc subito, nec opino vulnere mactat;  
Atque indignatus Stygias detrudit ad undas,  
Sibila tentantem frustrâ, & capita ægra plicantem.  
Tum spoliis Divûm, solioque superbit eburno:  
Et tria squamigero Sceptra impius arripit ore.  
Jamque novo lætus regno, rebusque secundis  
Exultat, vacuaque furens bacchatur in Aulâ.  
Cogitur hic etiam infernas transnare paludes.  
Tum latebras tristes, atque horrida tecta relinquens,  
Erepat gracilisque, pigerque, & frigidus Anguis;  
Sed solo armorum sonitu tremefactus inani,  
In deserta fugit, cæcoque reconditur antro.  
Extemplò fædis horrescunt omnia Monstris;  
Qualia nec vastis sitiens alit Africa campis,  
Nec varius falso pascit sub gurgite Proteus.  
Harpyiasque, Hydrasque truces, verasque Chimæras,  
Ignotasque olim species fæcunda ministrant  
Tartara, nocte atrâ, & densâ caligine tectas;  
Luctantes secum, atque in mutua tela ruentes.  
O Pater! O Fessis tandem succurre Britannis!  
Et tot pressa malis, tantisque attrita ruinis  
Anglia duret adhuc; atque omni functa periclo,  
Exclesum nitidis iterum caput inferat Astris.  
Nescio quis gelidâ insolitus mihi fulgor ab Arcto

Exoritur, dubioque illustrat lumine terras.  
Rarescunt tenebræ, victæque Aquilone sereno  
Diffugiunt nubes; latum Sol igneus orbem  
Attolit, totoque abscedunt æthere nimbi.  
Monstra novis radiis, subitaque exterrita luce  
Horrendas sedes, & Tartara nota revisunt;  
Præcipitique fugâ in patrium referuntur Avernum.  
Fortunata Dies! quibus exornare triumphis!  
Quos miseris tandem plausus! quæ gaudia portas!  
Delitiæ Angliacæ gentis, Regumque propago  
Carolus alter adest, sceptrisque potitur avitis.  
Stant gemini circum Fratres; Ille aureus alter  
Gratanti ingreditur similis; tristissima nubes  
Alterius caput obscurâ ferrugine cingit.  
Regale ambo latus stipant: Hic pergit in Urbem  
Clamores inter lætos, & vota surorum.  
Hunc sequitur Pax alma, & pleno Copia cornu,  
Et pietas, & prisca fides, & gloria rerum.  
Quæ neglecta diù, pedibusque obtrita jacebat  
Relligio, antiquum sumit rediviva nitorem,  
Cælestique iterum affulget placidissima vultu.  
Quid non efficiat tanti præsentia Regis?  
Illius auspiciis doctorum illustre Virorum  
Concilium accitur; totoque ex Orbe frequentes  
Conveniunt, iisdem succensi pectora curis.  
Quisque suum pulchrâ caput obvincire coronâ  
Ardet, & audaci palmam decerpere dextrâ.  
Namque animum exacuit favor; & sub Principe crescit  
Laudis amor, studiisque accenditur æmula virtus.  
Neve inimicitiae tali in certamine. Sed quis?  
Ille quis est claro Divorum sanguine cretus,  
Quem scriptis, factisque, admirandisque repertis  
Insignem, nobis mittit glacialis Ierne?

O quanta! & quæ turba Virum comitatur euntem!  
Cumque ipso parili gestit procedere gressu:  
Omnes ingenio præstantes, artibus omnes.  
Non tot Cumæo folia abripiuntur ab antro;  
Atque abrepta levi volitant ludibria vento:  
Non tot Cecropiæ, depastis floribus Hyblæ,  
Autumno glomerantur apes, cum rauca resultant  
Æra, & cærules resonat tinnitibus æther.  
Neve illi tenues, dubiaque ab origine Formas,  
Argutasque secant nugas; sed pondera rerum  
Solliciti tractant, verique cupidine tacti  
Singula pertentant; certatim nobile semper  
Fervet opus, magnoque evolvunt cuncta labore.  
Quicquid in immensi jactatur limite Mundi;  
Quicquid Pontus habet, quicquid spirabilis aër;  
Quicquid Terra parens summove in cortice gessat,  
Aut imis occultat inexplorata cavernis;  
Nil illi præclusum, intentatumve relinquunt;  
Omnia rimantur. Felici indagine multa  
Inveniunt; aliisque investigata refingunt  
In melius. Quæcunque olim ter Maximus Hermes  
Tentavit, quoties caluit Memphitica fornax;  
Quæque Syracusio descripta in pulvere Vati,  
Barbarus immiti abruptit Problemata ferro;  
Quæque ignarus adhuc causarum, viscera vidit,  
Dum frustra inversis extis inhiabat Aruspex,  
Venturam exquirens fortem, mentemque Deorum:  
Illi quotidie versant, animoque manuque  
Omnia Scrutantes; illis Natura reclusas  
Pandit opes, neque se nebulis obscura recondit.  
Illi concretas moles, & corpora dura  
Igne domant, subitoque sua in primordia solvunt.  
Et Lunæ Solisque viam, & labentia cœlo

Sidera describunt radio, & quibus Orbibus errent  
Terribili horrendum rutilantes crine Cometæ.  
Serpentes atros, Pisces, genus omne Ferarum  
Arte secant summâ, & spirantia membra revolvunt;  
Fibrillas omnes, & vas minutula quærunt.  
Atque illis nostrum si fors superare laborem  
Contigerit, mihi jucundum est, & amabile vinci.  
Conscia mens recti sibi gaudet; splendida nunquam  
Facta premit, minimumque alienis invidet ausis.  
Hos fama ad superos fulgentibus evehat alis;  
Nos quoque posteritas aliquo signabit honore,  
Qui primi Cordis certâ rate findimus æquor,  
Ignotoque olim vitæ tranavimnus amnes.  
          Talia fatidico Senior de pectore fundit.  
Interea diri Animal cruciatibus ægrum.  
Immanes patitur secto Thorace dolores.  
Cor tamen ad solitum accingit sese usque laborem,  
Et validis primùm, & crebris micat ictibus; at mox  
Segniùs, & raro respondet verbere; Pulsu  
Ancipiti tremit, atque incertâ fluctuat undâ;  
Tum fatis victum cadit, immotumque quiescit.  
Ferreus abscondit morientia lumina somnus,  
Horrentesque rigent artus, calor ossa relinquit.  
          Harveides animo pervolvens cuncta, Canemque  
Exanimem spectans; Quo te, inquit, fata tulerunt?  
O mihi si raptum in lucem revocare liceret,  
Et fugientem animam gelidis infundere membris!  
Sed prohibent Parcæ, & nullo jam carmine Manes  
Flectendi: vel si tantum medicamina possent;  
At me iræ superûm terrent, & Apolline natus  
Fulmineo extinctus jactu. Quid nunc tibi tandem  
Pro merito egregio, & vitæ pro munere reddam?  
Nec tu defunctus planctu lætabere inani;

Nec tua solabor pretioso fata sepulchro.  
Ista levem Culicem vano splendore coronent,  
Quem brevis ingrati pastoris sustulit ira;  
Formicamve vagam, quam incautam succina gutta  
Implicuit, pinguique revinctam rore peremit.  
Major honos tibi debetur, tibi gloria major.  
Namque tui generis Procyon, & Sirius ardens,  
Inque domos Superûm, & stellantia tecta recepti:  
Quin tu etiam ætherias conscendas tertius arces.  
Tu quoque cælestes inter numerabere flammæ;  
Sublimique procul radians fulgebis in Axe.  
Neve Canis vestro in cælis formosior Astro  
Ullus erit, non qui rabioso sidere tostos  
Urit agros, non qui Leporis vestigia latrat.  
Num neque lethalem in terras jaculaberis ignem,  
Inducens hominum generi morbosque, famemque;  
Nec fata, nec pecudes insano fervidus æstu  
Extingues: sed læta tuo, & flaventia culta,  
Atque salutiferas herbarum lumine vires  
Augebis, floresque in prata virentia sparges.  
Ignibus innocuis, & amicâ lampade mundum  
Lustrabis, medicasque, haud nunc inglorius, artes  
Æternâ, placidaque nitens moderabere flammâ.  
Hæc ubi dicta; omnes, sue quisque in tecta, recedunt,  
Harvæi famam, ac laudes super astra ferentes.